

tuli Clem. *Si una*. eod. in 6, ergo etiam in parochiis dividendis, arg. c. 1, *de Reg. jur.* in 6, ibi: « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, » et l. *Heredes palam*. § *Si quid post. ff. de Testam.*

20. Limitat tamen Fagnanus, loc. cit. a n. 51, doctrinam n. præced. positam in casu, quo episcopus dividit parochiam subjectam regularibus exemptis (prout etiam omnino potest teste Fagnano, loc. cit. et Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 68, n. 6, ubi ad hoc refert declarationem cardinalium). Ratio disparitatis est, quia divisionem parochiæ non exemptæ facere potest, et facere censetur jure ordinario, sibi competente ex c. *Ad audientiam*. h. t. divisionem vero parochiæ regularibus exemptis subjectæ, indeque suo modo exemptæ, non facit, nec facere potest jurisdictione ordinaria, sed delegata summi Pontificis, per concilium Tridentinum, sess. 21, *de Reform.* cap. iv, ibi: « Episcopi etiam tanquam Sedis apostolicæ delegati. » etc. Quando autem episcopus procedi tanquam delegatus Sedis apostolicæ, non requiritur consensus capituli, hoc ipso, quod Papa a capitulo in nullo dependeat, uti loc. cit. bene discurret, et hanc doctrinam amplius prosequitur Fagnanus, eumque sequitur Pirhing, h. t. n. 40, et alii.

21. VIII. *Ut episcopus per se, vel per alium speciali mandato erigat.* — Tandem requiritur, ut parochiam novam erigat episcopus vel per se, vel per vicarium generalem dando eidem ad hoc speciale mandatum; generale enim non sufficit, prout declaravit sacra Congregatio apud Fagnanum, loc. cit. n. 41. (ADNOTATIO LVI.)

22. *Reparare ecclesiam quinam, et quomodo teneantur?* — Quæritur III. Quoad secundam tituli partem, quisnam debeat reparare ecclesiam, casu quo ruinam minatur, vel omnino corruat? Resp. I. Ante omnia attendendam esse consuetudinem loci. Abbas in c. 1, h. t. n. 3; Engel, h. t. n. 8; Barbosa, in c. 1 et 4, h. t. arg. c. *Ad apostolicam*. 42, *de Simonia*, et can. *Decrevimus*. cau. 10, q. 1.

23. Resp. II. Speciali consuetudine non existente, ecclesiæ reparari debent, de ipsius ecclesiæ redditibus, quos habent, can. 1 et 2, cau. 10, q. 3; juncto concilio Tridentino, sess. 21, *de Reform.* cap. vii, et tenet Glossa finalis in c. 1, h. t. communiter recepta.

24. Resp. III. Si ipsa ecclesia nullos habeat redditus, vel saltem non sufficientes ad reparationem, eam reparare, vel ad reparationem concurrere debent rectores ecclesiæ parochi nempe in ecclesiis parochialibus, et beneficiati in ecclesiis non curatis: ad quod tamen etiam concurrere debent patroni, necnon et alii, qui aliquid de ecclesiæ fructibus accipiunt. De rectoribus ecclesiæ patet expresse, ex c. 1, h. t. ibi: « Quicumque ecclesiasticum beneficium habent, omnino adjuvent ad ecclesiæ tecta restauranda, ipsasque ecclesias emendandas, et c. 4, eod. ibi: « Qui parochiales ecclesias habent, ad reparationem ecclesiarum cogi debent: » et tenent in utrumque capitulum doctores communiter. De aliis statuit novissime concilium Tridentinum, sess. 21, *de Reform.* cap. vii, per textum infra n. seq. Et quidem patroni concurrere tenentur, etsi fructus aliquos ab ecclesia non percipiant, ut docet Bellet. *Disquisit. cleric.* p. I, *de Clerico debitore*. § 14, n. 11; Barbosa, in *Concil. Trident.* sess. 21, *de Reform.* cap. vii, n. 8, et in c. 4, h. t. n. 4, contra Lambertin. et Pirhing, h. t. n. 20, ubi citat Barbosam, sed minus recte, cum hic contrarium doceat, arg. *Concil. Trident.* loc. cit. Ratio est, quia etsi patronus aliquis redditus de ecclesia nullos percipiat, habet tamen ab illa emolumentum, fructus nempe jurispatronatus, vi cujus habet honoratiorem locum, et alimenta in necessitate.

Circa obligationem beneficiatorum reparandi ecclesiam, notandum, eos non nisi de redditibus ecclesiasticis superfluis ad reparationem teneri, non autem de necessariis nec de patrimonialibus, etsi hæc eis superflua forent, arg. c. 4, h. t.; Bellet. loc. cit. et alii.

25. Resp. IV. Si ecclesia nullos redditus habet, beneficiati non nisi necessaria, vel aliqua quidem superflua, sed ad reparationem insufficientia percipiant, patroni item pauperes sint, tunc ad reparandam ecclesiam tenentur parochiani, qui in illa ecclesia sacramenta, et alia divina percipiunt, et in quorum gratiam est reparanda: ita clare statuitur a concilio Tridentino, sess. 21, *de Reform.* cap. vii, ubi ordo obligationis reparandi hactenus specificatus habetur illis verbis: « Parochiales vero ecclesias, etiam si jurispatronatus sint, ita collapsas refici, et instaurari procurent ex fructibus, et proveniuntibus quibuscunque, ad easdem ecclesias

quomodocumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, et alios, qui aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant; quacunque appellatione, exemptione, et contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent; ac matrices, seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate, tam dictas parochiales, quam alias ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi. » Barbosa, in cit. c. 4, h. t. cum aliis existimat, deficientibus prædictis omnibus posse, ac debere recurri ad publicum ararium communitatis.

26. *Qui reparare tenentur ecclesiam, etiam ad reparandam domum parochialem et ecclesiæ paramenta tenentur.* — Porro quæ diximus de reparatione ecclesiæ, intelligenda etiam sunt de reedificatione, ac refectione domus parochialis, aut beneficiati, ita, ut qui, quando et qualiter tenentur ad reparationem ecclesiæ, iidem etiam teneantur ad reparationem adium rectoris ecclesiæ, juxta declarationem sacre Congregationis, prout ex Barbosa in cit. c. *De his*. h. t. n. 5, refert Pirhing, h. t. p. 16. Idem Barbosa in c. ii. h. t. n. 2; Belletus, *Disquisit. cleric.*, p. 1, tit. *de Clerico debitore*, § 14, n. 4. Surdus, et alii, quos sequitur Pirhing, loc. cit. volunt, quod parochi, sicut et alii beneficiati, deficientibus redditibus ecclesiæ teneantur etiam ad procuranda et reparanda paramenta ecclesiastica, puta, capsulas, pluvialia, albas, calices, etc. arg. c. 1, h. t. Ratio est, tum quia sine his divina celebrari nequeunt; tum quia fabrica ecclesiæ, et præparatio ornamentorum parificantur, arg. c. fin. *de Testament.*

27. *Observatio practica.* — Colliges, plane male agere illos parochos, canonicos, vel beneficiatos, qui abundantibus provisi redditibus nil contribuere volunt pro paramentis ecclesiasticis, licet videant, quod egens ecclesia vel nullos; vel certe non sufficientes habeat redditus pro comparandis necessariis et decentibus paramentis, ex quo fit, quod non raro videre sit ditissimos ex redditibus ecclesiasticis parochos, paramenta vero ecclesiæ deterrima, lûridissima, ac insufficientia, non sine scandalo plebis.

28. *Specialia de reparatione ecclesiæ cathedralis.* — Circa reparationem ecclesiæ cathedralis illud speciale est, quod ad eam

episcopus solus teneatur (si superfluos redditus habet, et nisi ipsa ecclesia redditus pro fabrica habeat, aut consuetudo aliud exigat) Barbosa in c. 1, h. t. n. 5; Belletus, loc. cit. § 13, n. 12; Pirhing, h. t. n. 19 et communiter, arg. can. *Decernimus*, cau. 10, q. 2 et can. *Quatuor*. cau. 13, q. 2. Quod si episcopus superflua non habeat, canonici superfluos redditus habentes compelli possunt, arg. c. fin. *De his, quæ sunt a prælat.* n. Doctores citati, et ibi Abbas, n. 7. Et si hi superflua non habent, aut non sufficientia ad reparationem, compelli potest clerus de superfluis redditibus; vel potest episcopus cum capitulo deputare fructus Beneficiorum vacantium.

§ II.

DE ÆDIFICATIONE ET ERECTIONE MONASTERIORUM, CONVENTUUM, ET ALIORUM LOCORUM RELIGIOSORUM.

29. *In ædificatione monasterii observandæ sunt constitutiones Clementis VIII, Gregorii XV et Urbani VIII, quæ per extensum ponuntur.* — Quæritur I. Quid requiritur, et observandum sit in erectione novorum monasteriorum? Resp. Attendente omnia et observari debent novissima circa hanc materiam decreta tria, videlicet Clementis VIII. quod incipit, *Quoniam ad institutam*, editum 23 julii anno 1603, quod reperitur in tomo tertio *Bullarii*. Dein decretum Gregorii XV, quod incipit, *Cum alias*, et est in *Bullario Romano*, ordine 31, inter constitutiones ejusdem Pontificis. Ac tandem decretum Urbani VIII, editum 21 junii 1625, ordine 45, inter constitutiones hujus Pontificis, quæ per extensum hic subjungere placuit.

Clemens papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

« Quoniam ad institutam regularium locorum et personarum reformationem promovendam, et conservandam maxime pertinet, ut in quibusque domibus et monasteriis is tantum numerus religiosorum, qui commode ibidem ali possit, contineatur, ac eo pariter spectat ut in quibusque civitatibus et locis, novæ domus et monasteria, præsertim Mendicantium non erigantur, nisi in eisdem civitatibus et locis, aliarum domorum, et monasteriorum in eis existentium habita

ratione, commode sustentari posse dignoscatur.

« § 1. Hac igitur Nos consideratione ducti, et in præmissis pro nostro pastoralis munere opportune providere volentes motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac matura consideratione, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum, et regularium præpositorum, harum serie declaramus, locorum ordinarios non posse licentiam ad novos conventus, cujusque mendicantium ordinis, in civitatibus, et locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prioribus, seu provincialibus, et aliis interesse habentibus, et causa servatis servandis cognita constiterit, in eisdem civitatibus et locis novos hujusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse.

« § 2. Si vero ab eorum in hujusmodi causis sententiis, ad Nos et apostolicam Sedem provocari et appellari contigerit, ipsos ordinarios tandiu erectionem novorum conventuum suspendere debere, quousque a Nobis et apostolica Sede in eadem causa pronuntiatum extiterit, irritum nihilominus et inane decernentes, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die 23 julii millesimo sexcentesimo tertio, Pontificatus nostri anno 12. »

Gregorius papa XV, ad perpetuam rememorationem.

« § 1. Cum alias felic. rec. Clemens Papa Octavus decreverit, ordinarios locorum licentiam ad novos conventus cujusunque, præsertim mendicantium ordinis, in civitatibus, et locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos, impertiri non posse, nisi vocatis, et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prioribus, seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et causa servatis servandis cognita, in eisdem civitatibus et locis novos hujusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse, constiterit. Si vero ab eorum sententiis ad

Sedem apostolicam provocari, et appellari contigerit, ipsos ordinarios erectionem novorum conventuum suspendere debere, quandiu a Sede dicta in ea causa pronuntiatum extiterit, ne alias prout in decreto hujusmodi plenius continetur.

« § 2. Verum per piæ mem. Paulum Papam Quintum accepto, plerosque ex ordinariis prædictis favore, vel nimium ex poscentium importunitate ad novos conventus seu domos, præter, et contra tenorem prædicti decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemosynarum, seu reddituum cujusunque monasterii, conventus, seu domus ratione monachi, seu fratres, aut religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, et ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat. Sacra Congregatio illustrissimorum DD. cardinalium negotiis regularium præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium hujusmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti hujusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis habens, vivæ vocis oraculo a S. D. N. Gregorio Papa XV habito, decretum prædictum, quatenus opus sit, innovat, et in usum reducit.

« § 3. Volens, quod de cætero monasterium, conventus, domus congregatio, vel societas religiosorum, seu regularium cujusunque, etiam mendicantium, ordinis, societatis, et instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiam si de illis particularis, expressa et specifica mentio habenda esset, in quacunque civitate vel oppido, seu quocunque alio loco, non erigantur, nisi in eo saltem duodecim fratres, aut monachi, seu religiosi inhabitare, ac ex redditibus, et consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac priores, seu procuratores, aliorum monasteriorum, conventuum, seu domorum aliarum religionum vel congregationum, aut societatum, seu institutorum hujusmodi non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis ad id vocati, et auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alias ordinariis locorum constiterit, religiosos monasterii conventus, seu domus regularis sic erigendi seu erigendæ, absque detrimento religiosorum

in monasteriis, seu domibus antea in civitatibus, seu locis hujusmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commode, et congrue manuteneri, ac ali posse. Si vero novi conventus, domus, congregatio, vel societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alii regulares inibi reperiantur, ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirent, an locorum incolæ, et habitatores, quorum et consensus requirant, ac adhibeant, hujusmodi duodecim religiosos in conventibus, ut præmittitur, instituendis commode alere et manuteneri valeant.

« § 4. Si vero a decreto, seu decretis per ordinarios prædictos in causis hujusmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponitur, ea ad eandem Sacram Congregationem una cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernentes quibuscunque in contrarium facien. non obstantibus.

« Romæ 17 augusti 1622, etc. »

Ant. Card. Saulius.

Urbanus papa VIII, ad perpetuam rememorationem.

« Romanus Pontifex, cui Salvator, et Dominus noster, qui Charitas est, et Deus pacis, universalis Ecclesia credidit principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis, a Sede apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, et majoribus ex causis, quibusvis præsertim personarum sub suavi religionis jugo, Altissimo famulantium paci, et quieti consulitur, litibusque ac controversiis inter eos obviam itur, revocat, et immutat, in hisque pastoralis sollicitudinis, et providentiæ suæ studium interponit, prout rerum, et temporalibus qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

« § 1. Cum itaque, sicut Nobis innotuit, complures licentiæ suæ, sive facultates a nonnullis Roman. Pontif. prædecessoribus nostris per diversos ordinum, etiam mendicantium, congregationum, societatum, et aliorum institutorum superiores, seu alios eorum nomine, ubique locorum monasteria, domos, collegia, conventus, et alia loca re-

gularia quovis nomine nuncupata, servatè duntaxat sacrorum canonum, et concilii Tridentini decretorum forma, de sola ordinarii scientia, seu etiam forsitan non servata forma, et absque licentia hujusmodi, et contra decreta a Sede apostolica super præmissis edita, fundandi, erigendi, et instituendi importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel alias obtentæ, et extortæ fuerint: ideo Nos, omnes et quascunque licentias ac facultates hujusmodi, litterasque desuper tam sub plumbo, quam in hujusmodi forma Brevis desuper expeditas, eorumque tenores etiam veriores, et Dat. præsentibus, ac si specificè, et sigillatim exprimerentur, et insererentur, pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, justis de causis animum nostrum moventibus, motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ testatis plenitudine omnes, et quascunque licentias et facultates hujusmodi, litterasque desuper tam sub plumbo, quam in eadem forma Brevis expeditas, omniaque et singula in eis quomodolibet contenta, et expressa, etiam quoad erectiones, foundationes, et institutiones monasteriorum, collegiorum, domorum, conventuum, et aliorum regularium locorum hujusmodi, quæ suum nondum sortitæ sunt effectum, tenore præsentium perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus, et annullamus, viribusque, et effectu prorsus evacuamus.

« § 2. Præterea ordinum etiam mendicantium, congregationum, societatum, et aliorum institutorum superioribus, quocunque nomine nuncupatis, cæterisque personis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis pœna vocis activæ et passivæ, necnon officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, et alia in futurum obtin. necnon excommunicationis ipso facto, incurrendis pœnis interdicens, et prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum, et annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova monasteria, collegia, domos, conventus, et alia loca regularia hujusmodi nisi de expressa ordinarii licentiâ, ac servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum, et concilii Trident. necnon constitutionibus fel record. Clementis VIII. quæ incipit, Quo-

niam ad institutam, dat. Romæ 1693. ad decretorum de mandato ejusdem Clementis, necnon sim. mem. Gregorii XV. Roman. Pontific. Prædecessorum desuper editorum forma recipere, erigere, fundare, vel alias quomodolibet ipstituere, seu incepta finire, et absolvere audeant, seu præsumant.

« § 3. Decernentes præsentis litteras etiam ex eo, quod causæ, propter quas illæ emanarint, expressæ, vivificatæ, et justificatæ, aut quicumque in præmissis interesse habentes seu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, et auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel alias ex quocunque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, et impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus sed eos, ac omnia et singula in eis contenta semper, et perpetuo valida, et firma, et efficacia esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscunque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et nuntios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

« § 4. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episc. et aliis locorum ordinariis per præsentis committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios, præsentis litteras, et in eis contenta quæcunque solemniter publican. faciant illas, et illa ob omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari contradictores quoscunque et rebelles per cen. et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione post posita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

« § 5. Non obstan. præmissis; ac regula

nostra de jure quæsito non tollen. et re. me. Bonifacii Papæ VIII similiter prædecessoris nostri de una, et in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quorumcumque ordinum, congregationum societatum, et institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus, et personis sub quibuscunque ten. et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis ac irritan. et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, et consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et sæpius innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis ten. specialis specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium ten. præsentibus, pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, et illis alias in suo robore permansuris, hæc vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 6. Volumus autem, quod præsentis in valvis basilicarum S. Joannis Lateran. et Principis Apostolorum de urbe, ac in acie Campi Floræ ut moris est affixæ, omnes quos illæ concernunt, ita aretent, et afficiant perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

« § 7. Quodque earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

« Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 26 augusti, MDCXXIV. Pontificatus nostri anno secundo. »

Ex quibus decretis, sicut etiam ex jure

communi, ac concilio Tridentino infra allegando colligitur, sequentia necessaria esse, et observari debere in erectione novi monasterii.

30 et 31. *Requiritur ad eam consensus principis territorialis et episcopi.* — I. Necessarius est ante omnia consensus principis territorialis. Ita contra Lezanam, *Monasteria*. n. 29; Barbosam, lib. II. *Juris Eccles. univ.* cap. II, n. 2 et 3; Hyacinthum Donatum, loc. cit. q. 8. bene docet Marchant. in notabilibus *Resolutionib. varior. casuum*; Bruno Neusser, disp. 173, q. 9. Ratio est, quia in erectione novorum monasteriorum semper interveniunt etiam quædam temporalia et politica, v. g. de fundo, de mediis, quibus sustentare se velint novi religiosi; an non novum monasterium in subditorum, vel principis vergat gravamen, vel præjudicium, etc. in quibus haud dubie loquendi, concedendi, iudicandi, aut denegandi potestatem habet princeps territorialis, juxta illud *Matth.* xxii, 21. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Confirmatur praxi, ac consuetudine ubique vigente, « quæ est optima legum interpret. » c. 8. de *Consuetud.* et l. 37. ff. de *Legib.* qua constat, nullibi monasteria ædificari posse absque principis territorialis consensu; imo pro hoc semper magis laborandum esse, quam pro consensu reverendissimi ordinarii.

II. Requiritur licentia episcopi, in cujus diocesi monasterii erectio intenditur. Ita certa, et unanimis ob clara jura, can. *Quidam monachorum*. 10. cau. 18. q. 2. ibi: « Placuit neminem aut ædificare, aut construere monasteria sine scientia ipsius civitatis episcopi. » Item can. de *Monachis*. ead. caus. et q. juncto concilio Trident. sess. 25, c. III. de *Regular.* ubi præcipitur « ne de cætero monasteria erigantur, sine episcopi, in cujus diocesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. » Concordat etiam jus civile novell. 67. cap. *Sancimus*: item novissima decreta supra n. 29. allegata: in quibus etiam certæ conditiones præscribuntur ad hoc, ut consensus episcopi legitime fiat, quas conditiones inter necessaria requisita secundum ordinem hic recensemus: quapropter.

32. *Qui ante consensum debet citare, et audire interesse habentes.* — III. Requiritur, ut, antequam episcopus det consensum, alios religiosos in illo loco, ubi novum monasterium intenditur, sicut et in vicinia per qua-

tuor millia passuum habitantes, ac alios interesse habentes citet, eisque intimet intentionem et petitionem ædificare volentium et spatium, quo, si volunt, gravamina sua proponere et probare valeant. Unde ut conditioni huic satisfaciant, episcopi hodie solent decretum citationis ad valvas ecclesie illius loci, in quo monasterium intenditur affigere, et per illud omnes quoscunque interesse habentes generaliter citare, ac mandare, ut si quid opponendum habent, intra tempus in decreto determinatum proponant; quo elapso non amplius forent audiendi.

33. *Inter quos etiam et parochus loci.* — Controvertunt hic aliqui, an inter citandos et audiendos etiam sint parochi locorum? Passerinus siquidem in c. *Cum ex eo, de Excess. prælat.* in 6. Pasq. q. *Moral. jurid.* 512. et alii putant, eos nec citandos, nec audiendos esse. Verum contraria opinio, videlicet, quod et parochi ante consensum audiendi sint, probabilis ac juri conformis videtur; prout sæpe decidit Rota teste ipso Passerino, et tenet Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 26. n. 5; Hyacinth. Donatus, tom. I, tract. I, q. 15, citans Guidonem Papam, decis. 370; Navar. in *Praxi novi Juris Pontificii*, concl. 1, alias 10, n. 1. Idque probatur ex Bulla Clementis VIII. n. 29 allegata, ubi expresse prohibetur, ne episcopus consensum præbeat, nisi prius vocatis, et auditis religiosis præexistentibus in tali loco, et NB. « aliis interesse habentibus; » atqui parochi in hujusmodi causa etiam interesse habent; cum contingere posset, quod ex nova monasterii constructione eorum oblationes, aliave jura parochialia ita diminuerentur, ut congruam sustentationem non amplius haberent. Confirmatur ex c. I. « de novi operis nuntiati. » ubi universaliter prohibetur, ne Ecclesia aliqua (multo magis ne monasterium) in alterius præjudicium ædificetur, et conceditur, quod cuivis, præsertim rector ecclesie baptismalis, vel parochialis præjudicium, patiens possit « novum opus nuntiare; » ergo.

34. *Non potest ædificari monasterium, vel alius locus religiosus, nisi in eo velint, et commode possint habitare, et sustentari duodecim religiosi.* — IV. Requiritur, ut episcopus ante consensum bene attendat, et examine: an novi religiosi saltem duodecim numero ex redditibus, aut consuetis elemosynis